



**Ecclesiasticae Historiae, Et Dicta, Inprimis Memorabilia,
Christi, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Doctorum,
& hostium veteris Ecclesie: singulari iudicio, & pio studio,
ex Eusebio Cæsariensi ...**

Eusebius <Caesariensis>

Haer. Chr. Egen., 1571

VD16 E 4284

118. De Hormisde Viro Nobili & diuite, qui expulsus à Gororane rege Persarum, hoste Christianorum, oblatam potentiam & opes regis propter confessionem Christi contempsit. Capite 31.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69335](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69335)

*Hac est placatus sic Cæsar voce precantis,
Pectore vt offenso cesserit ira grauis,
Regibus est cunctis virtus clementia digna,
Causa ne moueant bella cruenta leui.*

118. DE HORMISDE VIRO NO-
bili & diuite, qui expulsus à Gorora-
ne rege Persarum, hoste Christiano-
rum, oblatam potentiam & opes
regis propter confessionem
Christi contempsit. Ca-
pite 31.

*Gororanes regnans Parthorum sæuus in oris,
Christicolas bello sæpe petebat atrox.
Hic etiam Hormisdi claro de stemmate nato,
Deneget æternum mandat vt ipse Deum.
Gororani sæuo Hormisdes sed verba tyranno
Talia reddebat vir pietate grauis.*

RESPONSVM HORMISDIS
ad Gororanem.

NEc iustum, nec vtile præcipis Impera-
tor: Nam qui docetur, vt Deum omni-
um facile contemnat & neget, facili-
mè quoq; spernit Imperatorem, cùm & ipse fit
particeps naturæ mortalitatis. Et si summo
supplicio dignus est, qui tua sceptrâ contem-

psferit, Imperator, multiplicib. tormentis sub-
dendus est, qui cunctorum negauerit crea-
torem.

*Impia quae mandas mihi, rex crudelis & atrox,
Quam sint haec nulli commoda & aqua, vide.
Cunctorum Dominum, quicumque docetur, & audet
aetherea summum spernere in arce Deum:
Hic etiam regem facilis contemnet in orbe
Natura fragilis mortiferaque suum.
Si tua qui temnunt hominis, rex, sceptrum caduca,
Sunt digni poenis supplicioque graui,
Qui negat aeternum Dominum, qui cuncta creauit,
Quam varijs poenis is cruciandus erit?*

119. DE TYRANNIDE REGIS
in Hormisdem, & de constantia in con-
fessione Christi Hormisdem con-
temnentis praemia & opes
oblatas a rege.

*Sic ait Hormisdem: nil flectitur ira tyranni,
Sed poenas auget suppliciumque magis.
Nam iubet ut nudus pecudes, hirtosque camelos
Pascat, & in vastis erret agatque locis,
Exactis rursus multis post forte diebus,
Rex miserum in syluis sole nigrumque videt.
Hinc gentis patriae memor & virtutis auita,
Aduocat, & clarum vestit alitque virum.*

Hae